CLEMENTIS JOSEPHI BRECHTII
PHIL. ET MED. DOCT.

52976/P

# EPISTOLA
DE
# ELOQUENTIA MEDICI

*I. E.*

QVÆ SPECIALIS MEDICO LOQVENDI RATIO COMPETAT?

AD VIRUM ILLUSTREM

# GEORGIUM FRANCUM

P.P. ET VICE-CANCELLARIUM UNIVERSIT. HEIDELBER.
NEC NON DIVERSORVM
ELECTORUM ET PRINCIPUM
CONSILIARIVM
ET
ARCHIATRVM.

*ARGENTORATI.*
ANNO EPOCHÆ CHRISTIANÆ
M. DC. XXCIIX

*Literis Frid. Wilh. Schmuckii. Typogr. Regii.*

549429

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

# GEORGIO FRANCO
## MEDICO ILLUSTRI

CLEMENS JOSEPHUS BRECHTIUS
Phil. & Med. Doct.

S. P. D.

ELoquentiam, mentium ſublimiorum facile magiſtrá, novo ſemper decenteque cultu ſtudioſe exornare, in univerſum quidem omnibus ſingulisque adeo hominibus, præſertim vero Medicis incumbit, ne vel in hominum doctiorum cœtu, vel etiam vulgi indoctioris concurſu, hoc decente ornatu orbati, nudi plane, & quaſi attoniti, ceu fulmine icti, turpiter ſtare, inque Artis Nobiliſſimæ ignominiam, eamque profitentium dedecus & dehoneſtamentum, idque vel ob inſcitiam, vel turpem propter ab-

uſum garrulitatem, primo fugam & tandem ipſas manus dare victas coguntur. Hinc neceſſaria omnino, decora ſimul & elegans eſt in Medico Eloquentia, ſed eruditione munita, humanitate exornata, adque artis decus, temporeque debito adminiſtrata; ſplendet enim in cathedris, in foro apud ſubſellia, in conſultationibus publice ineundis, ut mentis concepta ornate promantur. Dum vero aliqui ſpartam hanc divinitus ſibi conceſſam, exornare quam ſtudioſiſſime allaborant, haud in certis ſuis limitibus ſeſe continere adſueſcunt, quin in garrulitatem, in vaniloquentiam, precioſa Eloquentiæ ſtola amictam prolabantur, qua perverſiſſima conſuetudine DEUM proximumque lædunt quàm vehementiſſime, contentiones namque ſerunt, ſeminant litigia, concordiam tollunt, evertunt pacem, vivè enecant ſodales, linguæ frena qui laxant, nimium qui loquaces ſunt. Quare Medicinæ Candidati, ne ſcopulis his impruden-

ter impingentes, fortunæ vel famæ naufragium, non præcauti faciant, occaſione quadam hac de re, ad Te Vir Illuſtris quædam perſcribere,tanquam ad ſummum hujus rei Arbitrum non dubitavi. Miraberis equidem, ut opinor, quæ cauſſa fuerit, quod Tibi hanc inſcribere Diſſertatiunculam voluerim. At deſinas mirari! Scis enim tanto Te beneficio me nuper affeciſſe, ut qua ratione me exſolvere poſſim, nulla alia modo adpareat occaſio, quàm ut publico quodam teſtimonio, meam in Te Vir Illuſtris conteſtarer obſervantiam,non equidem redhoſtimenti loco, hoc enim minus eſſet, ſed tantum in ſignum filialis obſequii. Hinc conſilium cepi,ſub Nominis Tui auſpicio eandem publicare, non quòd magno uſui cuiquam, aut mihi laudi futuram eſſe crederem, quod ſperare non ineptum minus eſſet quam improbum, ſed ut præfati beneficii, & meæ gratitudinis, aliquod publicum teſtimonium, & ſi ferre ætatem poſ-

ſet, monumentum etiam ad poſteros extaret. Imo ſi quid egregii conari poſſem, nihil cogitari poſſet, quod non rependerem, quanquàm meæ mihi tenuitatis probe ſim conſcius, tamen hanc beneficii Tui deprædicandi occaſionem avide arripui, confiſus, harum rerum conſiderationem, in quarum praxi ad admirationem uſque perfectiſſimus es, non injucundam Tibi fore, præſertim cum eaſdem quotidie, cum ſumma rei medicæ peritia, inque curando dexteritate ſingulari, & felicitate admirabili, ad ægrorum, non plebis modo, ſed Nobiliſſimorum & Potentiſſimorum quoque lectos, feliciſſime exerceas. Quare ſuſtine Vir Illuſtris, ut Arbitrum Te eligam, in Arbitrio namque Tuo acquieſcam totus.

Rem autem ipſam optime juvari arbitror, ſi antequàm eam aggrediamur, prius dicamus: Quæ ea ſit Medici Eloquentia? dein, circa quæ verſari illa facundia debeat? tandem vero ipſum fandi modum in ſuis

limitibus comprehenſum ad colophonem deducemus.

Eloquentia autem illa, ſeu ſpecialis Medico loquendi competens ratio, non ea eſt facundia, quâ fuco picta oratione, dicendique virtute inani, & ſtrepiteſcente quodam vocum tinnitu quid profertur; vel quâ à naturali illa loquendi ſimplicitate aliquis diſcedit, & ficta, & ex ſimulata atque affectata arte vanam eloquentiam pandit; ſed eam putamus dicendi promtitudinem, quâ proprie & appoſite ſine omni fuco, omni loco, tempore & occaſione accommodate diſſeritur. Hanc jam Medici facundiam, circa DEI cultum, proximi utilitatem, atque Artis decorem, omni loco, tempore & occaſione verſari comperimus. Circa DEI verum cultum: ob ſcientiæ quam profitetur Magnificentiam atque ſublimitatem, cum originem illa ſuam immediate à DEO ducat. Cum enim omnibus prodeſſe, nulli vero nocuiſſe Summum Bonum clemen-

tiſſime voluiſſet, ne tot tantisque, quibus humanæ conditionis imbecillitas eſt ſubjecta, miſeriis ſuccumberet, atque ne vitæ in agro colendo, meros afflictionis tribulos, aut intempeſtivas mortis ſegetes meteret, ſed fructus potius ſalutares, quibus vita prorogaretur, & valida conſervaretur, Divina Pietas vim pœoniæ virtutis, i. e. Medicinam, ſumma liberalitate ſuo dilecto, Medico videlicet impertivit, ut hic in terris ſui vice munereque fungens, proprium munus iniret, faciens ea quæ conferant, ad aſſequendum finem, qui in Medicina eſt ſanitas. Hinc Medicina radius eſt divinæ virtutis, omnipotentis claritatis emanatio, ſuæ bonitatis filia, divinum donum & inventum, vera ſapientia, visque in ſe admiranda, plus quam humana continens, quæ ex ejus immenſæ pietatis fulgore promanavit. Hinc quoque Medicus cùm prout DEUS omnibus prodeſſe, neminique nec facto nec verbo nocere cupiat, quodam-

modo DEO fit ſimilis, ut pote *bonitate* & *ſcientia* ipſi proximus, cum inſimul: *neminem plura ſcire quam Medicum deceat!* hinc DEI propago & filius eſt;

*Iuſta jubens, injuſta vetans,*
*mala cuncta recidens.*

Summa enim hinc Medico competit quoque ſcientia; *Divina* namque, *Humana*, *Terreſtriaque*, verbo omnia Medicum noſſe oportet. *Divina*: tum quoad cultum, ceu commune præceptum, tum quatenus & in morbis producendis, iisdemque curandis ex Hippocratis ſententia, divinum quid ineſt. *Humana*: quæ nempe mentis ſint, corporisque hominis propria, quæ vero utrisque ſint communia? quomodo alterum in alterum agat, alterumque ab altero patiatur? i. e. quid mens corpusque in actionibus naturalibus, in affectibus animique commotionibus poſſit? quidve in præternaturalibus, mens videlicet, i. e. in producendis atque curandis ſui corporis morbis, quidque corpus in procreandis at-

que emendandis ſuæ mentis vitiis valeat? imo quid in utriuſque errore vel corrigendo, vel ab eodem præſervando ambo ſimul conferant? Inſuper quomodo totum compoſitum ſeſe habeat erga creaturas, in univerſum omnes,tum cœleſtes terreſtresve,ratione actionis atque pasſibilitatis; & viciſſim, quomodo hæc adverſus illud? ut nunc nihil dicam de tot millenarum myriadum hominum individuis, ab invicem quoad naturã, facultates,conſuetudines, animi corporisque affectiones, longiſſime & ad miraculum uſq; diſcrepantibus. *Terreſtria* noſſe quoque oportet: quæ namque æthera, quæ terrarum gremia, & aquarum profunda latibula recondant? quæ tot animalia, volatilia, terreſtria, natatilia, amphibia? quæ tot millena vegetabilia, montana, paludoſa, ſylveſtria, hortenſia? quæ tot multifaria mineralia, metalla, ſemimetalla, lapides, ſalia, ſucci,olea, aquæ, & alia adhuc multa nondum recenſita,in

hominem poſſint? hem! quantum eſt Medicum appellari! ut de variis tamque multis diverſiſſimiſque harum rerum præparationibus, commixtionibus, transmutationibus, adplicandique modis, aliisque ſimilibus nihil dicam! Ubi ſunt illi nunc? accedant & erubeſcant! ubicunque etiam ſint, & gravi pudore afficiantur, qui dicunt Medicinam aliis facultatibus eſſe apprehenſu omnium facillimam, atque inde ſequiorem! accedant inquam & videant, & apprehendant! non putem, quin de turpi ſuo errore, protervaque ſua oſcitantia erubeſcant, & agnoſcent, Medicinæ, non quidem illius ſequioris vulgaliter practicantium, ſed illius ſublimioris apparatum, ſane ampliſſimum, profundiſſimum & vere immenſum! unde Medico uberrima diſſerendi enaſcitur occaſio, hinc facundiæ fons & ſcaturigo, hinc ampliſſimus doctrinæ campus, ſpacioſiſſima ſcientiæ profunditas! ſi plura reliquis Medico ora data fuiſſent,

haudquaquàm tamen dicendo ſuffi-
cerent, hinc Eloquentia Medico, non
vaniloquentia garrula & fatua; ſed
facundia circumſpecta ac prudens,
prudens circa divina, humana, ter-
reſtriaque; Circa *Divina*: ne errores
ab ægris in deligendo eſculentorum
potulentorumve, componendo, &
uſurpando commiſſos, vel morbos
etiam admirabiles & atrociſſimos
luctuoſiſſimoſve temere DEO adſcri-
bamus, aſtris, æ heri, aëri, geniis, dæ-
moniisve, cum ipſius naturæ ſint
producta ſoboles, à connato munere
ſponte talia & non ex errore produ-
cente, nulloque id genio neceſſitan-
te. Hinc uberrima Medico DEUM
OPTIMUM MAXIMUM, Optimum
propter beneficia & miſericordias,
Maximum propter ſummam admi-
rabilemque Potentiam, omni loco
& tempore celebrandi, glorificandi-
que occaſio; ubi ſimul ſtudioſiſſime
cavet, ne vel contra bonos mores,
vel adverſus ſuam àque ſe traditam
religionem, aut ſerio, aut ioci cauſſa

præſertim coram ignaris, quicquam aut diſputet aut proloquatur. Circa *humana* non minus, Medici facundiam æque ac circa divina circumſpectam eſſe oportet, præſertim cum triplex perſonarum diverſitas eidem ſeſe offerat, *collegarum* nimirum *ægrotantium* atque *valentium*; qui viciſſim omnes, in ſuos certos ordines, eosque diverſiſſimos diſtribuuntur, cum quibus loquendi ratio eſt diverſa omnino, & cuique peculiaris, ut infra videbitur. Hic Medici collegæ, in duos ſtatim ordines ab invicem diverſos omnino maximeq; diſcrepantes ſegregantur, quorum *Virtuoſorum* prior, alter vero *Perſonatorum* ordo eſt, ſub ſpecioſo virtutis velamento perſonati, utrique tamen quoad externa ſibi invicem haudquaquàm diſſimiles, niſi quod poſterior altè elato ſupercilio, quæq; intueatur, & ſpecioſo ſimulatæ ſinceritatis fuco fucatus, fœminarum more, magis vocibus quàm doctrinæ armis pugnet, acriuſque

lingua pugnando quàm ratione pungat, & contumeliâ, ceu canino dente gravius quàm viperino mordeat, genuinumque dentem ubique infigat; præterea quod eius dens, ſit plus quàm colubrinus, quo famam bonorum virorum rodit & lethaliter mordet, ejuſque perſonatæ ſinceritatis eloquentia, ad aras contumeliæ Athenienſium, deæ impudentiæ facta, ſale prudentiæ careat, verùm ira livore & invidia condita, ignominiæ notam, ceu acri corroſivo aliis inurere annitatur. Cùm è converſo prior ordo, heroica animi fortitudine quæque adverſa aggrediatur, armiſque doctrinæ & virtutis diſcrimen decernat, non efferatur, non ringat. Perſei itaque dens à Græis ſuſceptus perſonatorum illi ordini [quia fabulas amant & narrant, fabulâ erudiendi ſunt,] coercendæ linguæ cauſſa porrigendus eſt, ut ſub ejus ænigmate, quæ dentis & linguæ figura recondit, apprehendant; *tenera enim, mollis & exigua caro, lingua eſt ho-*

*minis, & levis res ſermo, quia leviter volat, ſed graviter vulnerat; leviter tranſit, ſed graviter, urit; leviter penetrat animam, ſed non leviter exit; profertur leviter, ſed non leviter revocatur; facile volat, atque ideo facile violat charitatem*; quare forti dentis illius vallo coercenda eſt, ne viperæ inſtar erumpat, & temere proſiliat, aut quævis inconſulto fundat, ſed à ſermonum levitate cohibeatur. At doloſam, maleferiati illi, mellifluo dulcoris embammate linguam, artificioſe imbuere annituntur, atque ſub ſpecioſo amicitiæ fuco, fucum façere non erubeſcunt, blande fantur præſentes, ſed lethaliter vulnerant abſentes, rigidi ſunt, moroſi, atque echio aſperiores, à re etiam leviſſima, imo perſæpe & nulla, ſolùm ex vano quodam præconceptu, à muliere quadam delatrice orto, vel turpi perverſiſſimaque ac jam conſueta carpendi cupidine, cui ſimul frivola & inanis ſuperbia accedit, in vaniloquentiæ ſpumam efferveſcentes,

humanitatem atque civilitatem exuunt omnem; quos forte cœca fortuna in officii cujuſdam faſtigium vix evexit, & res ruſtica loculos locupletare cepit, ex familiaribus intolerabiles miſanthropi, familiares atque ſodales ad exitium ducentes, his, illud Plauti, æneo ſtylo, ceu ſymbolum, effronti fronti inſcribi meretur:

*Largiloquæ exemplo ſumus, plus*
*loquimur quàm fas eſt.*

eò enim tum conſuetudine tum fortuna ducuntur, ut ſæviant etiam in innoxios; adeo inſana verbulorum titillatione laſciviunt, balatronum vaniloquentia capti, ut de turpi detractorum munere non erubeſcant, & ſtomachantem, garrulam bilemque ſalivantem loquacitatem, præſertim, ſi forte fortuna, etiam ad honoratiores, illis aditus pateat, comprimere nequeant; quibus ex milite Plauti glorioſo, non tamen indignabundi reponeremus:

*Iam jam ſat amabo eſt! ſinite abeam,*
*ſi poſſum, vivus à vobis!*

quâ

quâ tamen turpi atque illicita arte tanquam ſingulari artificio non vanam gloriolam, ſed grandem authoritatem apud illos ſibi aucupari videntur, quod tamen artificioſum vitium & vitioſum artificium eſt, ſcutum muliebre eſt,& ars lenonum eſt, atque amictus inſipientiæ,& balatronum blateronumque in quarto modo proprium, ingenuo homini,ne dicam Medico indecens atque indignum. Hæc fucatorum futiloquentia & ſcurrilis dicacitas, non Eloquentia eſt,quàmvis nitidiſſima Eloquentiæ ſtola ſit amicta. At ſpinoſam hanc,interdum laudis cujuſdam lenitate,maleferiati hi oblinunt linguam, cum tales videri nolint? Verùm inficiatorum detractorumque vibratilis lingua, ſi non atro dente mordet, pungit tamen, & ceu ſcorpionis cauda ſemper minatur. Abſit itaque ut ætate & conditione inferiores mordeant ſuperiores, atque inferiores à majoribus ut fere moris eſt, ſpinosâ hâc eloquentiâ ad

necem usque pungantur, canino viperinoque dente rodantur, & rictu tigrino leoninoque lancinentur, dilanientur; procul ſit à Medico detractio & maledicentia, ne in commilitones deſæviat; minus manſuetum talis, & neutiquam civile eſt animal, qui caninis lupinisque, leoninis & tigrinis dentibus mordet; & cui lingua petulans eſt, ille morbo laborat turpiſſimo, curatuque perdifficili. At at! nihilominus tamen, reconvaleſcentiæ ſalutisque ad meliorem mentem redeundi ſpes adhuc ſupereſt, ſi diſtorti hi, colubrinique dentes evellantur, ſi linguæ petulanti medeatur, dummodo ex habitu pravo, mentis inops rationis adhuc compos, aptum hoc medicamen ex præſcripto tragici illius poetæ aſſumat:

*Si amor ſapientiæ atque honeſti ſingulis juxta placeret, nulla foret mortalibus contentio ambigua.*

Hoc ſalutare antidotum tranquillitatem infundet, furori frenum imponet, brutalesque ſedabit affectus, unde manſueti, candidi, placidi commili-

tonum amatores evadent, & humanos, affabiles, moderatos ſe ſingulis exhibebunt, lenitatis, dilectionis, beneficentiæ affectibus excitati, atque ornati manſuetudinis, civilitatis & tolerantiæ virtutibus, cumque Jaſone ex Colchico, ærumnarum & vitiorum labyrintho reduces, aureum virtutum vellus, opima fortunæ ſpolia, pretioſiſſimamque ſalubritatis ſuppellectilem reportabunt, non ſine ſummo ægrotantium gaudio, & propria magna authoritate, gloriaque maxima. Medicus itaque, ita compoſitus & ſedatus, isque vel ſolus, vel cum aliis ſui Collegii Doctoribus, ad ægrotos, ſive locupletes, ſive Telenici ſuppellectile inſtructos vocatus, haud cunctabundus accedit, idque non clam & à tergo cujuſdam alterius, contra leges & ordinarias reipublicæ medicæ conſtitutiones, quod nebulones & detractores faciunt, & cum vetularum ſagarumque grege ingenuo Medico & famam & reditus crumeniſecarum more reſcin-

dunt, ſed ut honeſtum virum decet, vocato in conſilium & altero, præſertim nondum exſoluto, ut qui prior adfuerat Medico, cumque eo tanquam collega amantiſſimo, tum de tempore, tum de morbi conditione, amice & placide confert, adque patientem, ſi maniacus non eſt, & ne ſe à Medico averſari videatur, propius accedit, eique aſſidet, ſedere enim tenebantur olim conſultantes & judicantes, anima namque ſedendo ſapientior fit, atque prudentior juxta illud Plauti:

*Sic tamen! hinc conſilium dedero*
*Nimio plus ſapio ſedens.*

Qui enim ſtando inquirit, audit, præcipit, ægroto moleſtiæ eſt & adſtantibus, atque præ ſe fert, fugam ſe quaſi meditari, ſibique non plene notum eſſe morbum, patientemq; ſibi cordi non eſſe, ſed aſſidet inquam, at absque riſu & citra manuum geſticulationem, pedum elevationem, corporis contorſionem, veſtiumque extenſionem vel con-

tractionem, ſed pacate, blando & hilari vultu, lætabundus, facieque ad ægrotum converſa eundem ſalutat, ad ſtatum, ætatem, ſexum & conditionem cognitu viſuque neceſſaria ſedulo contemplatur, quæque ad morbi naturam, ſpeciem, cauſſas & effectus pertinent ſolerter interrogat & perpendit, atque eruditè & ſedatè, præſertim ægro curioſo ſciscitante, ea exponit, & terſa oratione remonſtrat, idque ſermone non nimium celeri, & voce alta, nec murmurante & incondito, ſed oratione compta, atque nitore eloquentiæ medicæ exornata, ne inprudenter & non præmeditate quid effutiat, riſuique ſe exponat; ut enim etiam circa minima oculatiſſimus eſt Medicus, ſic quoque non ſolùm præſentia ab ægrotante enarrata intuetur, ſed præterita etiam ab ipſius quoque familiaribus, & qui illi ſunt à ſervitiis interrogando percontatur, unde ægritudinis occaſiones ſæpius eruuntur certiores. Cùm

nunc tandem etiam ad hos *ultimos* quoque perventum ſit *ordines*, eos paululum luſtremus: diverſi enim adeo illi ab invicem ſunt, atque ita diſcreti, ut eorum diſcrepantia atque diverſitas, ne dicam uno, ſed pluſculis etiam annis, vix, imo & ne vix quidem addiſci & cognoſci ſatis poſſit. Sexûs differentiam ne meminerim quidem, quâ in virorum mulierumque ordines diſpeſcuntur, tum patientes non minus, quàm ipſi quoque circumſtantes, qui denuo tum in certos amicorum cohortes, tum inſervientium turmas divelluntur, ut omnino inpoſſibile ſit, omnes illorum tum ægrotorum tum aſſidentium differentias, differentiarumque affectiones recenſere, atque in tot millenis caſibus, iisque tam diverſiſſimis, quemque genuinum loquendi modum & rationem tradere, quare eorum tantummodo luſtrabimus ordinum functiones atque munia, quæ crebro crebrius occurrunt, reliqua vero rarius contingen-

tia politiæ medicæ ſublimiori defe-
rimus, quæ providum quemvis,cui-
libet occaſioni præcipiti, conatibus-
que adverſis prudenter & circum-
ſpecte, propriâ experientiâ & praxi,
diverſimode, pro casûs diverſitate
obviam ire docebit. Interea tamen,
in omni ægrotantium ordine, præ-
ſertim in primo viſitationum actu,
quàm ſtudioſiſſime præcavet Medi-
cus, ne in prædicendorum præceps,
quicquam de morbi exitu abſolute
quid pronunciet, & famam vitamque
ſpondeat ægrum brevi ſurrecturum,
ſæpe enim fit,ut quidam præſertim
in initio, morbo quodam ſalutari
corripi videri poſſent, cum tamen
deinceps, paucorum prolapſu die-
rum, à ſingulari & maligna quadam
minera, hactenus alte ſepulta, mor-
bus exacerbetur, vel remiſſus recru-
deſcat, vel alius novus emergat, qui
ſubito & ex inſperato miſerum pati-
entem, à promontorio bonæ ſpei
jam concepto, eò majore cum luctu,
ſummo cum navarchæ bene præſa-

gientis dedecore , in ſcyllæ charyb-
disque orcum demergat. Sic ex ad-
verſo ſolertiſſime quoque cautus ,
morbum aliquem, non magnum &
longum pronunciat, ſua tamen na-
tura repente & ſponte evaneſcere
ſolitum , ut in febribus ephemeris
fieri aſſolet , quæ atrociter quidem
patientem adoriuntur, unde à Medi-
co inexperto falſe judicantur , non
ſine aliqua ejus peritiæ læſione, cùm
ſpatio unius alteriusve diei ſponte æ-
grum deſerat. Quare,an categorica,
præſertim in initio, an vero oraculo-
rum more ambigua, de morbi natu-
ra & exitu,opus ſit pronuntiatione,
ipſe quisque perpendat , cum ſæ-
pe & morbi acutiſſimi periodum ſu-
am cum hominis internecione, tri-
dui, ſeptiduive ſpatio abſolventes ,
eodem plane modo ægrotantes a-
doriantur; de cæteris uſque ad die-
rum criticorum adventum ſuſpen-
dendum eſt judicium , ubi demum
vel pro natura, vel pro morbo de-
clarari ſolet victoria , quo tempore

tandem adſtantibus, ægrotique amicis, ſi præ ſe ferant indicia; morbi pandat difficultatem Medicus, mortisque periculum, non tamen omni ſine ſpe, ut non aliqualis ſuper-eſſe videatur, quamvis omnino de-ſperatum & ipſi Medico adpareret, ut in omnem rei eventum, ſi morbi exitus propitius forte evenerit, hæc illi baſis evadat, cui inniti ſuæ ex-perientiæ fama poſſet. Hæc nihilo-minus adſit cautio: ne periculoſis in morbis ægrotos hilares, & bonæ ſpei nimium plenos reddendo, eos in multo majorem dein conjicia-mus mœrorem, ſi morbum ſequen-tibus diebus in pejus commigrare, aut ultra promiſſa produci videant? aut ex adverſo, in futura ſalute nimium fidentes, minus quàm fas eſt obtem-perent. Attamen, certum mortis ſi imminet periculum, Medicus pru-dens, facto examine, cognitoque periculo, poſt exitum è cubiculo, absque terrore, ſubmiſſa voce, decoraque loquendi promtitudine

aſſidentibus, amicisve ægrotantis, judicium de nulla fere ſpe, & prorſus conclamatum aperiat, ut patiens conſcientiæ proſpicere, domumque ſuam diſponere, affines vero rei hæreditariæ curam habere poſſint, & Medicus à mortis culpa fiat immunis; quodſi vero quædam adhuc atque modica affulgeat ſpes, detegat illam aſſidentibus, dicendo: ſpes adhuc modica ſupereſt. Non raro deſuper accidere aſſolet, ut ægri, nimiùm ſero Medicum accerſiri jubeant; tunc audacter pronunciare Medicus poteſt: præteriit occaſio! atque ex modulante Naſone adſtantibus præcinere:

*Principiis obſta, ſero Medicina paratur.*

Nihilonimus tamen eos viciſſim ex parte ſoletur: maximam quidem ſpem in remediis morbum opprimentibus eſſe, ſed ante morbi dominium exhibitis, ſi primum vocatus Medicus fuiſſet, ſervari potuiſſe ægrum; ſtatim vero & hoc ſub nectat: aſt nec hic ideo deſerendus

eſt, ſed ſpe nutriendus, atque au-xiliis juvandus. Sæpius etiam & hoc accidit: ut fera diraque ſymptoma-ta, morbi præſertim in initio, vi-res ſubito dejicientia interitum mi-nentur, illico tunc aſſidentibus, ſed procul ab ægroto remotis dicendum eſt: graviſſimum eſſe morbum, & valde timendum, ne pejor evadat, àque remediis quidem ſperandam eſſe ſalutem, & à viribus, modo hæc ſi conſtiterint, nullusque in obſe-quendo error fiat; Hoc modo & aſſidentes & æger eò diligentius Me-dicorum parebunt mandatis, & ſi inobedientes detegantur, iisdem exi-tii culpa imputetur. Ut enim ſupra nominatus atque deſcriptus ægro-tantium ordo nimis fidebat, ſic è contrario, alius quidam valde timi-dus eſt, ita quidem ut ob ejus extre-mam formidinem, certam ei pol-liceri ſalutem cogamur, hinc in convenientiſſimum exiſtimamus, coram decumbentibus, ſenſuum tor-pedine haud affectis, muſſitare, in-

que aurem quicquam alteri inſu ſurrare, nec geſtu, nec oculi nictu, aſſidentibus, ægritudinis acutiem periculumve pandere, unde æger ſuſpicetur, expaveat, deque ſua diffidat ſalute, & hinc ex deſperatione in deterius prolabatur. Magis convenienter potius judicamus: patientem hoc paſſu quibuscunque demulcere promiſſionum poppyſmis, & reconvaleſcentiæ ſpe alere, quamvis ſæpius inani, verbisque mellifluis, ſe morbo quidem gravi, at ſanabili laborare, modo ſingula recte agat, Medicisque obtemperet præſcriptis; interea amicis ſed procul à patiente remotis, & qui illi à ſervitiis ſunt periculum pandatur, & injungatur obſequium; quo caſu & ægroti animus erigitur, ſpiritusque ejus, & à morbo & à timore languidi ſublevabuntur, recreabuntur vires, & promtius præſtabit obſequia; aſſidentes vero in mandatis quoque Medici exequendis eò accuratius invigilabunt. Ex illo ordine viciſſim qui-

dam in duas diverſiſſimaſque cohortes rapiuntur patientes, cum quibus longe aliter, quam cum modo recenſitis procedendum eſt, aliterque cum illis ſpecialem ſuam Medicus loquendi rationem inſtituat oportet, quorum prior cohors proterva eſt, moroſa, inobediens, remedia ad ſalutem neceſſaria renuens, quemvis curandi modum reſpuens; alterius vero turmæ addicti, quamvis in extremis conſtituti, tempus inter atque æternitatem verſentur, nihilominus monita ſalutaria ſpernentes, adque pœnitentiam contumaces, cras in craſtinum differentes; cùm itaque ſuos aliosque ſuavi dexteritate ſuaſus vanos in iis expertus fuerit Medicos, tandem, præſertim rogatus, indignabundus propinquam iisdem mortem aperte denunciare poteſt, quo caſu prudens Medici eloquentia, peculiarisque ejus loquendi dexteritas multum confert, unde illi medicamenta eò libentius admittent, imo ipſi fortaſſis expoſcent, & hi

etiam ſalutem cordi quoque habe-
bunt, criminumque ſuſcipient e-
mendationem; ne tamen aliàs cuiquã
vel ægroto, vel aſſidenti, ſermone aſpe
rum vel auſterum ſeſe præbeat Me-
dicus; quodſi vero ſuma id quando-
que exegerit neceſſitas, & adverſi
quid Medico inde acciderit, ne tamẽ
hinc metu exterreatur, animumque
deſpondeat, bonæ enim cauſſæ diis
curæ, & ſolatio ſit, hoc quicquid
fuerit, id in recta muneris executi-
one acceſſiſſe. Hos inter ordi-
nes, tandem & muliebris in apri-
cum quoque procedit, qui ſtatim
in varias peculiaresque ſtationes
compellitur, unde virginum tri-
bus, mulierum cohòrs, neutra-
liſtarum factio, [quo nomine ho-
noris cauſſa, apud quosdam ſuſpe-
ctæ veniunt.] quæ denuo in cer-
tas diverſasque turmas divelluntur,
conſtituuntque vel gravidarum,
vel puerperarum, vel alias ægro-
tantium cohortes, & hæ viciſſim,
quæ vel affinitate, vel garrula lo-

quacitatè ſibi invicem ſunt conjunctæ, non neglecta & ea hominum turba, quæ illis à ſervitiis eſſe ſolet, vel à cubiculo, aliæque vel evocatæ vel voluntariæ ancillando ſtipendia facientes, quâ turbâ, ceu prætoria cohorte, præcipue digniores undequaque cinguntur. Quas inter tam multas diverſasque mulierum tribus, ſi uspiam Medico provida opus eſt in loquendo cautio, hic ſane ea quàm maxime requiritur, inter reliqua vero, quæ plurimum cavet, eſt: quod apud patientes, & præſertim coram mulieribus, non diu commoretur, nec cum illis copioſos ferat ſermones, contentionisque ſerram cum illis haud quaquam reciprocet, attamen patienter audiat, quæ patiens de morbi natura & occaſione velit referre, & quæ adſtantes; de re vel culinaria, quid vel vicina patraverit, vel de re muliebri, de amicabus, de nuptiis, de veſtibus, de mulierum fimbriis, aliisque ſimili-

bus ſermones miſceat nullos, ad maleficam enim malevolamque maledicendi maleficentiam, nec prætextus, nec fautores, fautricesve deſunt. Si vero de rebus occultioribus, ut ſæpius fit confidentius atque intimius cum illis loquendum eſt, taciturnus ſit, nec alibi quicquam effutiat, hinc tamen nec laude indigna quædam ſuboriatur taciturnitas, quæ contemptibilis in Medico eſt atque odioſa, ne ἄφωνος Medicus ægro aſſideat. Pesſimum hoc eſt in caſu dubio, v. g. in partu difficili & alio ſimili, miſeræ patienti, alias jam vacillanti, morbi & operationis exaggerare difficultatem, unde ſæpius magis quàm ab ipſo morbo afficiuntur, animumque deſpondent, & intereunt, quin potius ſuavi Medicus eloquentia, laborantem hortetur, animo bono eſſe jubeat, atque audacter operationem ſubire, hominum enim eſſe operari, DEI vero benedicere; ad cujus benedictionem obtinendam neceſſario, requiritur:

ut Medici atque Chirurgi agant & operentur, Patientes vero patiantur atque hoc modo cooperentur. Hem! alius adhuc nobis in apricum venit, pharmaca præparantium nempe atque vendentium ordo, quem, inter primos, nominis & honoris cauſſa nominaſſe debebamus; ad feliciter enim faciendam Medicinam apprimè is neceſſarius eſt, & nunquam ſatis laudandus; verùm aliqui illorum ſæpius deflectunt, cum quibus Medici Eloquentia ſingularis plane eſſe, & indies fere ſingularior fieri infit, cumprimis ſi aut ſenatoria vel conſulari dignitate alios emineant, vel etiam, quamvis & nullo horum inſigniantur titulo, dummodo certa cognationis aliqua ſpecie cum præcipuis quibuſdam jungantur, idque ſæpius ſervili ſatis matrimonio, nihilominus tamen ſtatim ſe ſupra modum alios eminere putant, atque ſe ſciolos coram ignaris jactabundi gloriantur, non aliter quam ſeplaſiarii emplaſtricoquus, qui ſe ſupra ſuum

herum ſapere ſpectatores perſuadere conabatur: ſed, eheu! nullus tamen qui cranii humani præparatioris vel drachmæ tantum ponderis ferebat, credere poterat, unde tanto eoque tam impetuoſo naſutus ille inaniloquus premebatur dolore,ut ſua præ faſtu,indignatione,ira & dolore turgida hypochondria,& adeo tenſa per medium rumpi, & jam jam diffindi viderentur, atque ſtolidus hero ſuo, ob id, dicam ſcribere minitaretur, quodſi non eveſtigio & ad nutum ut hominum animi inflectantur, effecerit? ſed Canis Lunam! Aſt! ſt! quemnam obſcurum quorundam ſtrepentium ſuſurrum advertimus? tam ex obliquo & à tergo nobis obviam, atque ceu ſtationes deſerentium ſine ordine ordo? eja! propius hi adpropinquent palantes! verùm quid veſtra hæc mora atque tergiverſatio? ehodum! agite, rumpite moras, atque procedite in apricum! at, mehercule! titubant vel impudentiæ, vel pudoris

vel & aſininæ ſuperbiæ pallio obvelati; ædepol! deoperienda larva eſt! eho! ii ſunt, ſoſtra Medicis qui denegant! Eccur non? reſpondent ex opulentioribus magis præcipui quidam, occulteq́ue ſubmiſsâ muſſitant voce: hoc ipſo enim viliores atque magis plebeji, cum hunc ad nos accedere viderint, allicientur, ad exemplum enim vivitur, unde Medico eò uberior adcreſcet hominum accurſus & hinc reditus, quàm ſi dupla, triplave ſotiria mitteremus, hi refundent, iisq́ue referentibus redundabit. Nec gratias hi palam dicent ingrati. Alii grates quidem referunt easq́ue maximas, idque palam, at vel ex ficta quadam tantum affinitate & neſcio cujus amicitiæ ergo, nucleo caſſas. Alii ob unum alterumve præſtitum officiolũ, opem medicam recompenſari putant. Alii tranſigendo paciſcuntur. Alii rem in longum differunt: & vel voluntarie obliviſcuntur! bella ſane ſolatia, belli certe prætextus! euge bone,

intuereſis Medici laborem in ſtudiis maximum, in viſitando moleſtiſſimum imo & periculoſiſſimum, nam ſive æſtus, ſive bruma, ſive euri flent, ſive boreæ, ſive interdiu ac noctu ſit fuſciſſimis in tenebris, in pace, in bello, cœlo ſereno & tempeſtuoſo, ſalubri & infecto, morbo benigno & contagioſiſſimo, quandocunque opus, indefeſſus, indeſesMedicus eſt, hinc præpeditur ſomnus, excitantur vigiliæ, cruditates gignũtur, morboſæ ob aliorum cuſtodiam & curam ei ſuboriuntur affectiones, propriaq́ue abbreviatur vita; ſicq́ue aliis inſerviendo ſemetipſum conſumit, aliis opitulando ſibi noxæ eſt. Quæ merces tanto labori? qui fructus à tanto ſatu? quod præmium condignum, dum ſalubritatis ſeges cuſtoditur? amiſſa dum redimitur, dum ab agro peſtifero, certiſſimoq́ue lethi orco patiens retrahitur, vitam ſaluberrimam diutius protrahi lætus poſſit? ſane! nunquid tunc ſua fere cuncta æger bona medico præberet? dicat expertus. Quare me

edoceas velim, o ingrate! quo Te alloquio ſollicitem, Te ne offendam, quæ hic Medico loquendi ratio? Te quæ non gravaret, juſta ſotiria à Te quacunque fandi ratione ſi poſce- ret? quàmvis recte Horatius:

- - *aut Virtus nomen inane eſt,*
*Aut decus & pretium recte petit*
*experiens Vir.*

Sed ingratis omnia ingrata. Spes remunerationis calcar quidem eſt ad fortiter operandum, &

*Abſque ære Phœbi muta ſunt oracula.*

Nihilominus plurimi, beneficia, medicasque latas opes, atque promiſſa, per oblivionis cribrum transmittunt, nec re, nec verbis, nec voluntate grati ſunt, nec mirum! præterita nimirum languent, præſens non datur, cum celeriter diffluat, futurorum autem expectatio longa, anxia, fallax. Non rari qui ſuum in benefactorem ſæviunt, qui contra ipſum beneficiis ut armis utuntur. Hinc peroportuna ſunt; quæ ad hunc tantum auferendum abuſum poſteris Antiqui reliquere:

*Cum dolet infirmus, Medicus ſit pignore firmus,*
*Expers languoris, non eſt memor hujus amoris.* & iterum:
*Dum locus eſt morbis, Medico promittitur orbis.*
*Mox abit à mente Medicus, morbo recedente.*
*Empta ſolet carè multos Medicina juvare,*
*Si data ſit gratis, nil confert utilitatis.*

Interea ad Medicinam eo felicius faciendam requiritur munifica remuneratio; ſtultus non credit, quantum in experimentis faciendis, in ſupellectile libraria comparanda, aliisque, indies conſumatur. Aſt! quidquid ſit! nihilominus:

*Virtuti certam dicimus eſſe Fidem,*
*Divitiæ cum ſæpe Malis mortalibus adſint.*

Et vere Malis, cum ipſi undique abundent, nihilominus vacuum apertiſſime & impudentiſſime frivolis ſuis minationibus technisque deprædentur; unde Juvenalis:

*Cantabit vacuus coram latrone!* -- --

Confimiliter protulit Galenus : hoc unico à latronibus eos differre, quod cives intra mœnia & non in montibus deprædentur. Quâ vero diſſerendi promptitudine, quô Eloquentiæ artificio? ex diſcrimine tam ancipiti ſeſe extricet? præda hæc terque quaterque infortunata, infelix! vinci ſe patitur! non aliter, quàm in cornicum, aut pſittacorum multitudinem incidens aquila adhuc junior atque imbecillior, ab iis ſe deplumi patitur vel invita; at meminit injuriæ, datâque poſtea occaſione pœnas repetit, atque maxima cura injurias ultum ire feſtinat, obviaſque ſingulas perimit. Hem! quæ diſcrimina, qui caſus? quæ præcipitia? multæ ſane aliæ adhuc atque innumerabiles dantur occaſiones, æque præcipites ſatis atque mirabiles, quas omnes perluſtrare non uni datum. Quamvis vero illarum adhuc quasdam, & eas non paucas addidiſſe potuiſſemus, atq; exemplis & dictis gravibus Patrum, tum Theoſophorum,

tum Medicorum, tum denique tandem & Philoſophorum illuſtrare quiviſſemus, nihilominus hic pedem figimus, & ulterius non progredimur ne hæc diſſertatiuncula epiſtolæ molem excurrat, & amplius quàm noſtra intentio eſt amplificetur. Omnia VIR ILLUSTRIS, in Arbitrium tradita ſunt Tuum, in eo enim toti acquieſcemus, quæſo ſi lubet & vacat plura adde. Interea fave Patrone maxime, Fautor optime, & Vale quàm diutisſime in neſtoreos usque annos, Iterumq́ue AVE ET VALE! *Dabam Argentorati, ex Muſæo meo, Prid. Kal. Auguſti, Anno Epochæ Chriſtianæ M.DC.XXCIIX.*

SAPIENTI SAT
CÆTERIS NIMIS
QVI VERO GENERALITER DICTA
IN SE DVCIT
ACCUSATOR EST SUI.

*FINIS.*